

Homologiæ nostræ editione cognitum aut compertum habemus. Levi tamen conjectura propemodum suspicamur cum typis secundis, καὶ δευτέρως ἄμφι φροντίδας alicubi admotas esse : atque inde fortasse sumtam illam tam opportunam de una et individua sanctissimæ Trinitatis essentia, Parte prima, Quæstione LXX, pag. 90, ad oram libri Sparwenfeldiani adiectam emendationem. Nisi quod vir ille nobilissimus et longinquis diuturnisque per magnam orbis terrarum partem obitis itineribus, rerumque ac linguarum plurimarum usu atque cognitione clarissimus, initio sui libri (il s'agit d'un exemplaire de l'édition princeps de la *Confession orthodoxe*), Licudiis fratribus acceptam referre videtur. Ecce verba : *Quæ pagina 90, inquit, in margine notata et passim correcta sunt, adscripta sunt a reverendis patribus Græcis, Ioannikio et Sophronio Licudi ex Kephalonia, cum quibus Moskvwæ familiaritas mihi magna erat, per integrlos tres annos, 1684, 1685, 1686, requisitis ut hoc scriptum in maiorem meam confirmationem de rebus græcis reviderent, et quæ ab iis improbarentur, notarent : ut postea sine mendis esset Catechismus hic orientalis ecclesiæ græcæ et slaweno-russicæ.* Atque iterum in illa ipsa schedula qua, rogatu ipsius, notam illam marginalem descripseram verbisque latinis expresseram, suapte manu idem amicus noster subiecit : *Hæc in margine adscripta tanquam necessaria et essentialia a RR. PP. Gioannichio et Sophronio Licudi, fratribus germanis Græcis, ex insula Kephalonia, monachis ord. S. Basilii magni, Moskvwæ, qui Paduæ 16 annis studuere. A quo etiam audire me memini* Licudios istos non infrequentem ludum literarium Moskvwæ aperuisse, magnoque studio et ardore, magno ingenuorum adolescentium profectu, græcas illic literas adhuc quotidie docere : cuius rei καθαπερεὶ γεῦμά τι καὶ δεῖγμα Homiliam græcam εἰς τὴν κατὰ σάρκα γέννησιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ coram hodiernis Roseæ principibus habitam, non contemnendam sane aut inconditam, mihi donabat.

Sur les frères JOANNIKIOS et SOPHRONIOS LICHoudis, on consultera avec fruit une excellente étude d'Alexandre Lascaris publiée dans

